



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Figuræ, Symbola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XIV. VIRGINITAS.

§. I.

Figurae, Symbola.

IN vestitu deaurato. Ps. 44. 10. Quid est vestitus aureus, nisi decor, & honor, corporis Virginalis? S. Gregor. l. 6. Expos. in 1. Reg. 15. 1.

Aliud centesimum. Matth. 13. 8. Porro centesimus numerus (diligenter quæso Lector attende) de sinistra transfertur ad dextram; & eisdem quidem digitis, sed non eadem manu; quibus in læva nuptæ significantur, & viduæ; circulum faciens, exprimit Virginitatis coronam. S. Hieron. l. 1. adv. Jovinian. ubi per triginta intelligit nuptias, per sexaginta viduas. Quod dicit, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Centesimum Martyrum, propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis. Sexagesimum Virginum, propter otium interius. Tricesimum Conjugatorum: quia hæc est ætas præliantium. S. August. l. 1. r. 99. Evang. q. 10.

Bonus hortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clausus Cant. 4. 12. quia undique vallata est muro castitatis. Fons signatus: eò quod virginitas sit fons, & origo, pudicitiae; quæ inviolata custodiat virginitatis signacula: in quo fonte imago Dei luceat. S. Ambros. in Cant. 4. hic.

Digna Virginitas, quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis; nescit concubitus, mella componit. Ros quoque Virginis, est sermo divinus: quia, sicut ros, verba Dei descendunt &c. Idem l. 1. de Virginitibus post medium.

Vellus Judic. 6. 37. Virginem præsignat. Vellus enim, sicut cum sit de corpore, corporis non subiacet passioni: ita Virginitas, cum sit in carne, vitia carnis ignorat. S. Ildephonus l. 6. de Assumpt. B. V.

Virginitas flos est: qui, si debito modo servetur, non decedit; quem ventus temporalis prosperitatis non dejicit; nec hyems adverstatis lædit. S. Thom. Aqu. de erudit. princ. l. 5. c. 54.

Virginitas assimilatur cedro: est odoris jucundi, quæ serpentes, id est, demones fugat. Nunquam à tineæ, vel aliò verme, corroditur. Sic corpora mortificata per abstinentiam in cedro, id est, virginitate, incorrupta servantur. Geminiani l. 3. c. 80.

§. II.

Virginitatis excellentia, laudes.

Ex Veteri.

ADAM verò cognovit uxorem suam Evam. Gen. 4. 1. Quamdiu in paradiso Polyanth. Sacra. Tom. II.

fuit, mulier vocata est; & cognita viro non erat: ubi autem ejecta est de paradiso; tunc legitur, quia Adam cognovit Evam mulierem suam: & tunc concepit, & peperit filium. S. Ambros. lib. de instit. Virginis c. 5. Simul atque Deo non obtemperarunt (primi parentes) ac terra, cinisque, facti sunt; simul cum beata illa vivendi ratione virginitatis decus amiserunt: & unà cum Deo semigravit ab eis castitas virginalis. Nam, quamdiu à diaboli servitute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti, fuit penes eos Virginitas; quæ majori ipsis erat ornamento, quàm sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Postea verò quàm captivi fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam - tunc unà successit connubium, mortale hoc, & servile, vestimentum. S. Chrysof. lib. de virginit. Eva in paradiso virgo fuit; post pelliceas tunicas initium sumpsit nuptiarum. S. Hieron. ep. 22. ad Eustoch.

Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi; præter te, quæ uxor eius es. Gen. 39. 9. Cur non dixit, præter te, quæ domina mea es? S. Ambros. l. 5. de Joseph: rectè uxor Domini, non ipsa Domina, dicitur, quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare. Nam quomodo domina? quæ dominandi non habet affectum? quæ disciplinam dominæ non tenebat? - Ille Dominus, qui amantis non excipit faces. Bæza t. 1. l. 1. c. 7. §. 10. Puritas virginalis, non est, nisi dominium; quod persona recipit super sensualitatem corporis. S. Vinc. Ferr. l. de S. Martha.

Ut ascenderent extra Bethuliam. Judith 7. 1. Diabolus Virginum hostis: laus hæc earum maxima: neque enim diabolus odit graviter, nisi quod magnum est. Apoc. 16. 13. *de ore leonis, & de ore draconis, & de ore pseudo-propheta videt Joannes spiritus tres immundos.* Rupertus l. 10. in Apoc. propter istam causam spiritus dicuntur immundi, quia spurcissimi sunt: quia humanum genus, per suas suggestiones, multimodis immunditiæ, atque ignominie, passionibus afficiunt. Prima cum Virgine diabolo pugna. 2. Cor. 11. 3. *Serpens Evam seduxit in astutia sua.* Tertull. l. de virgin. velandis c. 5. adhuc felix, adhuc paradiso digna, adhuc virgo. Velloso in Judith 7. Paræn. 2.

Astitit regina à dextris tuis &c. Ps. 44. 10. Adverte, ô Virgo, quantum tibi Spiritus Sanctus, Scripturæ divinæ testificatione, detulerit: regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum; vel quia sponsa es regni æterni; vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiva haberis; sed quasi regina dominaris. S. Ambros. l. 1. de virginit.

Rrr rr

In